

Zeitschrift: Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie
Band: 17 (1903)

Artikel: Die Lehre des Johannes Theutonikus O. Pr. über den Unterschied von
Wesenheit und Dasein
Autor: Grabmann, Martin
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-761793>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 29.12.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

DIE LEHRE DES JOHANNES THEUTONIKUS O. PR.
ÜBER DEN UNTERSCHIED
VON WESENHEIT UND DASEIN.

(Cod. Vatic. Lat. 1092.)

VON

DR. MARTIN GRABMANN.

Vorbemerkung. Der vatikanische Pergamentkodex 1092 enthält den Sentenzenkommentar des Dominikaners Johannes Theutonicus, wie aus dem Explicit (fol. 113) sich ergibt: „Explicit scriptum super quattuor libros Sententiarum editum a fratre iohanne thetonico ordinis fr̃m predicatorum magistro in sacra theologia“. Wer dieser Johannes Theutonicus gewesen, läßt sich aus dem vorliegenden Werke nicht bestimmt ermitteln. Zudem gehörten um die Wende des 13. und 14. Jahrhunderts mehrere deutsche magistri in theologia mit dem Namen Johannes (Johannes Radebent, Johannes de Eueruingen, Johannes de Sterngasse, Johannes de Lichtenberg) dem Predigerorden an, von denen die beiden letzteren je eine *lectura supra sententias* verfaßten.¹ Mit dem Beinamen Theutonicus werden gemeiniglich ausgezeichnet der vierte Ordensgeneral Johannes Theutonicus und der durch seine *Summa confessorum* berühmte Johannes Lektor von Freiburg.² Der letztere scheint nicht der Verfasser des obigen Sentenzenwerkes zu sein, da er in seinem kasuistischen Werke möglichst oft den hl. Thomas namentlich anführt und sich auf ihn beruft, während in diesem Sentenzenkommentar derartige Verweise auf den Aquinaten gänzlich fehlen. Außerdem weicht der Freiburger Dominikaner im Gegensatz zu diesem Sentenzenkommentar nicht leicht vom hl. Thomas ab. Durch Randnotizen ist die Stellungnahme dieses fr̃. iohannes thetonicus zum hl. Thomas, zu Ägidius Romanus und zu den *fratres minores* gekennzeichnet.

¹ Vgl. Denifle, Quellen zur Gelehrten-geschichte des Predigerordens. Archiv für Literatur- und Kirchengeschichte des Mittelalters II, 224 und 228.

² Vgl. Schulte, Geschichte der Quellen u. Lit. d. kanon. Rechtes II, 420, u. H. Finke, Die Freiburger Dominikaner und der Münsterbau. Freiburg 1901.

Text des Johannes Theutonikus.¹

In omnibus autem creaturis differunt esse et essentia, ut consuevit a quibusdam dici. Ideo queritur primo hic, utrum in creatura differunt esse et essentia realiter, et arguitur primo, quod sic . . . Dicit enim boethius in libro de ebdomadibus, quod diversum est esse et id, quod est; vocat autem id, quod est, essentiam. Ergo etc.

Preterea creatura est quid subsistens. Si igitur ipsa est suum esse, ipsa erit esse subsistens. Sed esse subsistens est esse purum, quod non est nisi deus. Ergo etc.

Preterea, si esset calor aliquis separatus, ille haberet in se virtutem omnis caloris; ergo a simili si esset aliquod esse separatum, id haberet in se virtutem omnis esse et ita esset infinitum. Tale autem esse non est nisi unum solum. Videtur ergo quod nullius creature esse sit, quin sit limitatum per aliquam essentiam, in qua sit receptum.

Preterea idem non separatur a seipso. Si ergo et esse et essentia sunt idem in creatura, tunc in nulla creatura esse poterit separari ab essentia, et sic quelibet creatura esset incorruptibilis.

Preterea ponens esse idem cum essentia non potest salvare creaticnem. Ergo hoc ponere est erroneum. Probatio assumpte. Sicut se habet materia ad formam in generatione, sic essentia ad esse in creatione, quia sicut materie acquiritur forma per generationem, ita essentie acquiritur esse per creationem. Sed ponens materiam idem esse re cum forma non potest salvare generationem, quia sic per generationem non acquireretur esse forme nec materie, quod tamen requiritur ad generationem. Ergo etc.

Preterea quando aliqua sunt idem, licet unum possit intelligi alio non intellecto, unum tamen non potest intelligi sub opposito alterius, ut si animal in homine sit idem cum rationali, quamvis animal possit intelligi non intellecto rationali, non tamen potest intelligi animal in homine sub irrationali. Sic enim opposita in eodem intelligerentur, quod est impossibile. Si ergo essentia idem est cum esse, licet intelligi possit non intellecto esse, non tamen potest intelligi sub opposito esse, quod est non esse, et per consequens non potest non esse, quia sicut est, sic potest intelligi, et sic omne, quod est, erit incorruptibile, quod est falsum.

Preterea in omni mutatione subiectum differt ab utroque termino, sicut materia differt a forma et privatione. Quia igitur

¹ Cod. Vatic. Lat. 1092 fol. 7 u. 8.

in creatione essentia est subiectum et esse terminus, oportet, quod essentia differat ab utroque termino. Differt ergo essentia ab esse sicut recipiens et receptum.

Preterea omne, quod est, aut est necesse esse aut impossibile esse aut possibile esse et non esse. Sed essentiam non est necesse esse, quia sic non posset non esse, nec est impossibile esse, quia sic non posset esse; ergo est possibile esse et non esse. Sed nihil ex se existit, inquantum est possibile esse et non esse. Ergo essentia ex se non existit; ergo realiter differt ab esse.

Preterea id, quod ex se est possibile esse, non potest efficiens facere actu, nisi se ipsum illi imprimat aut aliud, quo actualiter habeat esse. Constat autem, quod se ipsum non imprimit. Imprimit ergo aliud; ergo etc.

Preterea si esse et essentia sunt idem realiter, ubi ergo sunt due essentie, erunt duo esse. Sed in Xristo sunt due essentie. Ergo et duo esse, quod falsum est. Essent enim in Xristo duo existentes et non unus.

Preterea quandocunque aliquid partitur de aliquo per participationem, oportet, quod sit aliquid aliud participans preter id, quod participatur. Sicut patet de lucido, quod participat lucem, et ideo in lucido oportet aliquid aliud esse preter lucem. Sed esse est participatum in omnibus creaturis, et in solo deo essentialiter, sicut dicit yllarius. Ergo differt realiter.

Preterea questioni, an est, respondetur esse, questioni vero, quid est, respondetur essentia. Sed iste questiones differunt realiter, et etiam questio, quid est, supponit et sequitur questionem, an est; ergo differt realiter.

Preterea forma dat esse materie. Sed forma habet essentiam. Et materia simpliciter essentiam habet, sed non habet esse; ergo etc.; etiam sequitur, quod esse compositi sit compositum ex duabus essentiis, quod falsum est.

Preterea nullo homine existente ista est vera: homo est homo. Sed ista est falsa: homo est. Ergo differt realiter.

Contra dicit philosophus 4. metaph., quod in nullo refert dicere: homo et unus homo et ens homo, ubi dicit commentator: Cum dicimus unus homo vel iste homo et ens homo, iste dictiones convertuntur, et peccavit Avicenna multum, quia existimavit, quod ens et unum sunt dispositiones addite essentie.

Preterea si esse addat naturam aliquam, aut illa erit materia aut forma aut compositum. Non compositum, quia esse est formalius composito, cum compositum subsistat per ipsum esse; nec materia ea de ratione, quia est ens in potentia; nec forma accidentalis: non enim potest esse, quod forma accidentalis det esse

substantiale; nec substantialis, quia tunc sequeretur in omni re creata esse plures formas.

Preterea si esse addit naturam aliquam realem super essentiam faciens compositionem cum ipsa, aut ergo compositio ex esse et essentia erit essentialis aut accidentalis. Non essentialis, quia talis compositio est ex principiis essentie. Sed principia essentie secundum philosophum sunt tantum duo, sc. materia et forma. Nec accidentalis, quia hoc esset dupliciter. Aut enim essentia sibi determinaret hoc accidens, et repugnaret sibi oppositum eius sc. non esse, aut non determinaret sibi, et tunc posset fieri variatio secundum esse et non esse manente essentia, quod est inconueniens.

Preterea cum res dependeat a prima causa secundum esse, si esse sit aliud ab essentia, sequitur id inconueniens, quod res a primo dependeat per aliquid aliud quam per se ipsam. Iuxta hoc queritur, utrum hoc nomen quod est propriissime conueniat deo. Item utrum deus sit esse formale omnium rerum.

Respondeo dicendum ad 1. q., quod opinio philosophi videtur fuisse, quod esse et essentia in nulla re differant realiter. Dicit enim philosophus 4. metaph., quod ens homo et homo et unus homo non diversum aliquid dicit, sed dictionem repetitam. Avicenna autem hoc negat. Si enim, ut dicit, esse non adderet aliquid diversum supra rem, sequeretur, quod dicentes rem esse nugarentur. Et ideo dicit, esse realiter differre ab essentia. Contrarium autem arguitur contra hoc 4. et 5. metaph. Si enim in omni eo, quod est, differret essentia ab esse, cum etiam ipsum esse sit, sequeretur, quod etiam ipsum esse haberet in se essentiam et esse realiter differentia et esset re infinitum.

Respondetur etiam ad rationem Avicenne, quia licet esse et essentia sint idem realiter, differunt tamen ratione, et hoc impedit nugationem.

Quidam tamen modernorum opinioni Avicenne adherentes et positionem predictam destruunt et rationes solvunt. Positionem quidem supra dictam destruunt rationibus supra dictis, inter quas tamquam causam sui dicti assignant octavam rationem, sc. quod essentiam creature possibile est esse et non esse ex se. Tale etiam ex se non existit. Solvunt rationem contrariam, quia, ut dicunt, esse non est, quod est, sed quo quid est.

Sed contra hoc obicitur. Esse enim nec est necesse esse nec impossibile esse eadem ratione, qua essentia. Ergo est possibile esse et non esse. Ergo nec ipsum ex se existit, sed eadem ratione, qua essentia existit per aliquod esse realiter ipso differens; similiter et ipsum esse. Sed ad hoc respondent et dicunt, quod

esse ex se necesse est esse, sed est possibile esse, quia est in possibili esse sc. in essentia creature. Sic omnis forma ex se necesse est esse, sed est possibile esse ex eo, quod est in possibili esse sc. materia.

Sed hoc nihil est. Si enim omnis forma ex se esset necesse esse, possibile autem esse esset ex materia, sequeretur, quod omnis forma, que non est in materia, esset necesse esse, ita non posset non esse; quod est falsum.

Preterea si non obstante, quod forma est ex se necesse esse, deberetur sibi esse realiter differens ab ea propter possibile esse, quod ei debetur ex hoc, quod est in materia; eadem ratione, non obstante, quod esse est necesse esse, debetur ei aliud esse realiter differens ab ea propter possibile esse, quod trahit ex hoc, quod est in essentia, et ita redibit primum inconueniens, sc. quod re erit infinitum. Et ideo alii aliter dicunt; quod esse et essentia non differunt realiter sed ratione tantum, non quidem abstracta, sed respectiva sive relata. Essentia enim non dicit aliud quam rem abstracte, prout abstrahit ab actuali existentia vel non existentia.¹

Dicitur autem essentia ab utroque istorum abstrahere, quia in intellectu eius nullum istorum includitur. Esse autem non dicit rem absolute, sed inquantum actualiter existit in rerum natura, quod ei ex hoc convenit, quod est effectus alicuius agentis, puta dei, cuius actionem terminat. Verum autem est, quod ratio effectus sive effectus supra ipsum effectum non addit rem aliam, sed rationem respectus ad efficiens, et ideo esse supra essentiam non addit rem, sed rationem respectus, non quod esse nomet

¹ Hier steht am Rande die kurze Notiz: contra thomam. Durch diese von anderer Hand zugefügte Randbemerkung ist dargetan, daß die Negation eines realen Unterschiedes zwischen Wesenheit und Dasein im Widerspruch mit der Lehre des hl. Thomas stehe, contra thomam sei. Diese nota kehrt öfters am Rande des Kodex wieder. So auf fol. 1: contra thomam; fol. 14^v: contra thomam; fol. 24^v: hic videtur dicere contra thomam; fol. 69: opinio thome in 4°. Diese Randbemerkung stammt aus einer der Lebenszeit des Aquinaten sehr nahen Epoche. Jedenfalls rührt dieselbe, wie aus dem einfachen „contra thomam“ hervorgeht, aus der Zeit vor der Heiligsprechung des Aquinaten her. Noch mehr. Da außer Thomas nur mitunter die „opinio Egidii“, die „opinio minorum“ und einmal (fol. 58) Bonaventura zitiert wird, während Scotus nicht erwähnt wird, so läßt sich mit gutem Grund das Alter dieser Randglosse noch weiter zurückdatieren. Wir haben es mit einer fast zeitgenössischen Auffassung von der Stellungnahme des Aquinaten zur Streitfrage über den Unterschied zwischen Wesenheit und Dasein zu tun. Wir haben hier einen historischen Fingerzeig dafür, daß der englische Lehrer einen realen Unterschied gelehrt hat und von seinen Zeitgenossen in diesem Sinne verstanden wurde.

respectum purum, sed quod dicit essentiam non abstracte, sed inquantum stat sub tali respectu.

Sed contra predicta obicitur dupliciter, primo sic: ex eo, quod aliquid habet respectum ad aliquid, non existit, sed est ad aliquid, quod presupponit existere. Ergo si esse non addit aliquid supra essentiam nisi respectum, essentia non existit ipso esse, quod falsum est.

Preterea cum respectus fundatur in aliquo fundamento, si fundamentum sit immobile, et illud extremum, ad quod refertur, sit immobile; tunc respectus simpliciter erit immobilis: v. g. si esset aliqua albedo separata, que esset similis albedini in pariete, si paries esset immobilis, tunc illa similitudo inter parietem et albedinem separatam esset immobilis. Ergo si essentia, inquantum essentia, est immobilis et simpliciter deus, et tunc ille respectus essentie ad deum erit incorruptibilis. Sed esse existentie est ille respectus. Ergo esse creature est incorruptibile.

Ad 1. istorum dicendum, quod existere creature non est existentia simpliciter et abstracte. Sed solum existere creatoris est tale. Esse enim creature non est existentia nisi sub quadam dependentia ad manutenentiam creatoris, et ita est in quodam respectu, quem habet creatura ad deum, et sic est idem existentia, quod ad aliud existentia, et eodem ad aliud existit. Absolutus enim respectus in creatura non existit.

Ad aliud dicendum, quod in illis respectibus, qui fundantur in extremis ex natura propria extremorum, ut in actione et passione, verum est, quod dicitur, sc. quod extremis existentibus immobilibus respectus est immobilis. In illis vero respectibus, qui fundantur in uno extremo, non solum ex natura propria ipsius, sed cum hoc ex actione libera alterius extremi, non est verum, ut est in proposito. Esse enim, quod fundatur in essentia, non addit respectum supra essentiam, non fundatur in essentia ex sola natura essentie, sed ex actione libera alterius extremi sc. voluntatis dei circa ipsum immobile, et sicut ille respectus per divinam actionem est in essentia creatus, sic per subtractionem actionis dei circa ipsum in conservando separatur ille respectus ab essentia, et ipsum esse in se ipsa corrumpitur quantum ad esse essentie.

Ad id, quod in contrarium obicitur, dicendum est, quod id, quod est, sc. essentia, diversum est ab esse modo, quo diximus.

Ad 2^m dicendum, quod esse subsistens est duplex. Est enim quoddam esse subsistens, quod pro tanto dicitur subsistens, quia a nullo penitus dependet, sed per seipsum subsistit, et tale est tantum unum, puta causa prima. Est autem aliud, quod est esse

subsistens per se quidem formaliter, quod est suum esse. Sed hoc non est abstracte subsistens, quia ab alio effective dependet. Et tale esse subsistens competit creature.

Ad aliud dicendum, quod in hiis, que tantum multiplicantur materialiter, verum est, quod si aliquod talium fuerit a materia separatum, illud habebit virtutem sic multiplicatorum, puta si calor igneus elementaris esset a materia separatus, haberet in se virtutem omnis caloris ignei elementaris. In hiis vero, que non tantum materialiter verum etiam formaliter distinguuntur, non est verum, quod dictum est. Non enim, si aliquis color puta albedo esset separatus, haberet in se virtutem omnis coloris, sed tantum albedinis, eodem modo nec calor igneus separatus haberet in se virtutem caloris aeris aut celestis. Si ergo esse esset tantum multiplicatum per receptionem in aliquo alio a se differente, sequeretur, quod esse separatum esset infinitum habens in se omnem virtutem cuiuslibet esse.

Sed hoc non est verum, quia potius in ipso esse sunt diversi gradus seipsis formaliter distincti, sicut et ipse essentie rerum, inquantum ipsum esse non differt ab essentia realiter, sicut dictum est. Et ideo non oportet, quod esse, quamvis non sit receptum in aliqua essentia realiter a se differente, sit infinitum.

Ad aliud dicendum, quod quamvis esse existentie et essentia creature non differant re, immo essentia creature per hoc, quod est effectus creatoris, habet esse nullo superaddito in re. Creatio enim nihil ponit in creato, nisi respectum ad creatorem; tamen quia non advenit ab extrinseco essentie rei iam non existentis, sed recipitur esse per hoc, quod est effectus creatoris, bene potest ab ipsa essentia separari, ne existat in actu. Et tamen fit essentia quedam in se ab intellectu concepta, inquantum habet rationem extra rem, per quam nata est fieri effectus creatoris, qua concepta non est necesse concipere eius existentiam actualem.

Ad id, quod postea obicitur, dicendum, quod non est simile de materia et forma, quia materia est in potentia ad formam subiective, et quod sic est in potentia ad aliquid, oportet quod sit aliud re ab ipso. Sed essentia est in potentia ad esse obiective, et quod sic est in potentia ad aliquid, non oportet, quod sit aliud ab ipso re, sed ratione tantum. Est tamen advertendum, quod illud, quod dicitur ad aliud in potentia subiective, aequaliter ei, ad quod est in potentia secundum esse actualis existentie, preexistit. Sicut materia preexistit forme, ad quam est in potentia obiective, et in ipsa est aliquid, quod non preexistit illi, ad quod est in potentia secundum esse actualis existentie, sed potius tunc potest esse, quando fit. Si ergo hoc modo esse forme est obiective

se habens ad generationem, non subiective, sic etiam essentia, quia nullatenus existit quantum ad esse actualis existentie ante creationem, sed potius tunc actualiter existit primo, quando ipsa creatura et ex hoc ipso, quod creatura existit, quantum ad esse existentie, et ideo se habet ad creationem non subiective, sed obiective.

Ad aliud respondent quidam et dicunt,¹ quod esse actualis existentie differt ab ipsa essentia non re nec ratione solum, sed intentione, que est medium inter rem et rationem, ut sic possit intelligi sub opposito alterius, quamvis sint idem re, et ita dicunt differre animal a rationali et ab irrationali.

Sed istud non potest stare. Effectus enim proportionatur sue cause; sed non sunt nisi due cause, sc. natura et intellectus, sec. Comment. in X. Metaph. Relinquitur ergo, quod nihil sit inter: vel res vel ratio, i. e. vel effectus nature vel effectus rationis. Est ergo advertendum, quod ratio predicta impedit seipsam. Si enim nihil, quod est idem alteri, potest intelligi sub suo opposito, cum esse intelligatur sub suo opposito, puta cum intelligo esse non esse, sequitur, quod esse non sit idem sibi ipsi, sed realiter sibi differens sicut ab essentia, quod falsum est. Est ergo advertendum, quod si aliqua sunt idem re, differunt tamen ratione non abstracta, sed respectiva, unum poterit intelligi sub opposito alterius, sicut apparet in actione et passione. Actio enim et passio secundum philosophum (III. Physic.) sunt unus motus realiter, quia tantum addunt supra motum respectum ad agens et patiens; ideo motus potest intelligi sub opposito utriusque, inquantum seorsim potest intelligi sub utroque. Inquantum enim intelligitur in patiente, intelligitur ut passio, quod est oppositum actionis; et econverso inquantum intelligitur ut ab agente, intelligitur ut actio, quod est oppositum passionis. Unde nec in talibus tenet syllogismus expositivus. Non enim sequitur: hic motus est actio et hic motus est passio, ergo actio est passio, sicut nec in divinis tenet hoc: essentia est pater et hec eadem essentia est filius, ergo pater est filius.

Unde cum esse super essentiam addat rationem respectus, potest intelligi ipsum esse sub opposito ipsius essentie.

Nec etiam sequitur per syllogismum expositivum, quod si essentia intelligatur sub esse et non esse, quod esse sit non esse.

Ad id vero, quod preterea obicitur, dicendum, quod essentia est esse possibile et ideo non existit, inquantum essentia abstracte,

¹ Hier steht am Rande: opinio fratrum minorum. Gemeint ist die distinctio formalis der Franziskanerschule.

sed ut est effectus creationis. Non est autem effectus creationis ut essentia, quia sic non habet causam effectivam, sed solum extra rem.

Ad id, quod postea obicitur, dicendum, quod id, quod est possibile de se, ut subiectum transmutationis, non existit sine aliquo sibi impresso. Sicut apparet in materia, que non existit sine forma sibi impressa. Illud autem, quod est possibile obiective, non est possibile respectu forme sibi imprimende, sed solum respectu efficientis. Est autem iuxta hoc advertendum, quod id, quod per se est in potentia, non est per se in actu ferendo intellectum ad idem. Quod enim per se in potentia est effective, non est in actu per se effective. Alias idem efficeret seipsum. Et quod per se est in potentia formaliter, non est in actu formaliter per se. Sed id, quod est per se in potentia effective, poterit esse in actu per se formaliter.

Ad illud vero, quod preterea obicitur, dicendum, quod sicut dictum est, esse actualis existentie non est essentia abstracte considerata, sed magis est ipsa essentia, prout effectus creationis. Si ergo in Christo esset seorsum facta humana natura, sequeretur, quod illa natura haberet aliud esse actualis existentie ab ypostasi divina. Et sic in Christo duo essent esse actualis existentie, et sic Christus esset duo existentes. Quia vero humana natura in Christo non fuit seorsum facta, sed magis in sui factione est ypostasi divine coniuncta, ideo humana natura seu existentia non habet proprie in Christo rationem actualis essentie complete.



EIN BUNDESGENOSSE AUS NATURKUNDLICHEM LAGER IM KAMPFE GEGEN DIE IDEALISTISCHE AUFFASSUNG DER SENSIBLEN QUALITÄTEN.

VON

DR. M. GLOSSNER.



Unter allen „Errungenschaften“ der neueren Wissenschaft gibt es kaum eine, die sich in dem Maße der Übereinstimmung der Naturforscher und Philosophen erfreute, als es der Fall ist bezüglich der idealistischen Auffassung der sensiblen Qualitäten. Wenn man auch nicht so weit geht, mit Kant Ausdehnung,